

[Faint, illegible handwriting on a blank page]



3
73.
DISPUTATIO METAPHYSI-

CA

DE

B O N O

Quam

FONTE ET AUTORE OMNIS

BONI CLEMENTER ANNUENTE.

IN ALMA LEUCOREA

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO, ET PEREXIMIO

D^{N.} M. EBERHARDO MOLLERO,

AMPLISS. COLLEGI PHILOSOPHICI ADJUNCTO
DIGNISSIMO

FAUCTORE SUO MAXIME VENERANDO,

PUBLICO, PLACIDOQUE PHILOSOPHANTIUM EXAMINI SUBMITTIT

HEINRICUS BAUMANNUS

TORG. ALUMN. ELECT.

AD DIEM XIV. OCTOBRIIS HORIS ANTEMERIDIANIS IN COLLEGIO
MINORI.

WITTEBERGÆ, E Chalcographéo Johannis Haken,
ANNO M DC LIV.



DISPUTATIO METAPHYSI

CA

DE

BONONIA

Quam

FRONTE ET ALITORE OMNIS

BONI CLEMENTER ANNUNTE

IN ALMA LINCOREA

PRÆSIDI

VIRO CEARISSIMO ET PEREXIMO

D. M. FERHARDO MOLLERO

AMPLISS. COLLEGI PHILOSOPHICI ADIUNCTO

DIGNISSIMO

FAVORE SVO MARINI VENERANDO

PUBLICO, FACIENDO PHILOSOPHICUM EXAMEN

HEINRICUS BAUMANNIUS

TORO ALMAE LINCORAE

AD DIEM XIV OCTOBRIIS HONORARIIS IN GYMNASIO

MUNICI

WITTEBERGAE, P. C. K. A. G. J. JOHANNIS HILGEN

ANNO M. DC. LXXV





Σὺν Θεῷ Ἐ λόγῳ!

PRÆLOQUIUM.

Longissimè, latissimèq; diffusus est Metaphysicè, omnium
disciplinarum reginæ, campus, variisq; ingenti pabulis, &
subtilitatum deliciis feracissimus, adeò, ut si quis illum, melle-
is istis, ut ita loquar, epulis animum exsatiaturus, perlustrare
velit, in tantâ delicatissimarum mentis opum copiâ, non secus
ac in coenâ dubiâ, aut horto, omni florura ac pomorum genere,
& Venere refertissimo, ambigere teneatur, utrum potissimum
aucupetur animi delictum, utrum sibi eligat subtilitatis genus,
in quo ingenij sui periclitetur vires, ac unde sibi possit aliquid
promittere cum oblectamentum, tum suppellectilis eruditionis
sux incrementum. Quamvis a omnium eorum, quæ in foro
Metaphysico locum merentur, æqualis ferè sit dignitas, jucun-
ditas, & utilitas, ut palma inter ea verè sit ambigua, hanc ta-
men meo calculo plerisque prætipere videtur doctrinâ de Bo-
no Transcendentali, summâ dignitatis, jucunditatis & utilita-
tis laude conspicua, quâ ego cum primis stimulatus & allectus,
eandem impræsentiarum, virium mearum in hoc studiorum
genere periculum facturum, in disputationis scenam & arenam
liberalis exercitij gratiâ producere non inconsuleum aut incõ-
veniens studiis meis futurum arbitratus sum. Deus v. qui o-
mnis boni fons & scaturigo, pro bonitate suâ, clementer annuat
his nostris conatibus, eosq; divinæ benedictiones suæ aurâ ad
bonum finem, qui est veritatis indagatio, & vindicatio, prove-
hat & ratos esse jubeat. Sit ergo Bono cum Deo de Bono
nostro.

A 2

Th.



*Bonitas est unita, & adequata Entis Metaphysici affectio, ita
ut omne Ens sit bonum, & omne bonum Ens.*

Ἐκθεσις

§. 1. Quemadmodum Chirurghi in sanando aliquo vulnere occupati, ante omnia de removendo & exprimendo pure solliciti esse solent, quo sublato purulento isto obstaculo eò salubrior esse queat medela applicatio, & felicior vulneris curatio: Sic in Philosophorum, scholis decantatissimum & receptissimum est, εἰς τὸ ἰσθῶς διδάσκειν πρῶτον ἐπειθεῖν τὰ ὀνόματα, h. e. in docendo nominalem definitionem præmittere reali, quò imprimis remota illâ fecundissimâ errorum generatrice vocum homonymiâ, eò facilius & feliciter optatissimo omnis tractationis & disquisitionis finis, qui est veritatis inquisitio, obtineri & acquiri possit. Quod cum & in præsentibus observatu necessarium sit, tria potissimum circa eundem notanda veniunt, Παρωυμία, ὁμωνυμία & Συνουμία, de quibus pro ratione nostri instituti paucas quasdam ducemus lineas.

§. 2. Paronymia boni non una datur. Multi derivari existimant à boando non secus ac apud Græcos τὸ καλεῖν à καλεῖν vocando, quod quasi ptæconis instar clamando & boando homines ad se convocet & alliciat, ijsq; ignotam suam amabilitatem commendet, quò eorum animos eadem inescarios ad sui amorem trahat, & in eodem perseverare faciat. Alij deducunt à dono, alij alias sibi fingunt allusivas magis, quam in rei natura fundatas boni derivationes, quas curiosis potius minutiarum Grammaticarum Venatoribus relinquimus, quam ut omnes ac singulas sollicitè h. l. attendamus. Veteres (quod prætereundum non est) appellarunt bonum, Duonum, quod Camerarius in suis probl. dici existimat à duobus, ipsa scilicet Entitate rei, quæ denominatur bona, & à superadditâ connotatione alicujus, in ordine ad quod prædicta Entitas hanc ipsam denominationem boni sortitur.

§. 3. Ad Boni Homonymiam que spectant, in illis es-
nucleandis non multum h. l. desudabimus, cum tota ferè con-
sistat in divisionum varietate, quæ more à Metaphysicis rece-
pto, nec temerè immutando, infra in peculiari thesi in lucem
producenda erit. Attamen ut Boni nostri natura aliquâ ex
parte saltem constet, obiter quasi notatum volumus, quòd Bo-
num à nobis non sumatur h. l. i. in sensu eminentissimo s. spiri-
tuali, quo modo soli Deo, tantùm per essentiam bono κατ' ἐξο-
χῆν tribuitur. nec 2. in sensu vulgari, quâ ratione omnia, sive
fundamentaliter s. apparenter bona sint, boni nomine insigni-
untur: nec 3. in sensu applicato s. particulari, qui pro diversi-
tate objectorum diversimodè se habet; sed consideramus illud
in hoc foro transcendentaliter, in naturâ & statu suo univer-
sali, in sensu applicando, ac indeterminato, prout disciplinæ
hujus indoles & ratio svadere ac postulare videtur.

§. 4. Synonyma Boni si quis tam ex Græcâ, quàm Ro-
mana literaturâ operosè conquirere ac cumulare velit, illi hunc
ingenii lusum non exprobamus: sed nos ne videamur versari
extra oleas, potiora saltem, quæ faciunt ad institutum
nostrum, h. l. adducimus. Et primò quidem inter bonitatis sy-
nonyma referimus τὸ Perfectum, quod suo modo & certo res-
pectu ejus est synonymum, modò non fiat diversarum acceptionum
confusio: Nam I. Bonum sumitur dupliciter. i. materialiter &
fundamentaliter, s. absolutè quat. in suâ Entitate & perfecti-
one dicitur bona. 2. formaliter s. respectu alterius, & sic per
convenientiam quandam declaratur. II. Perfectum quoque
dupliciter accipitur. i. pro illo, cui nihil deest, & tunc perfectum
dicitur, non quodlibet bonum; sed illud, quod omnib. nume-
ris & partibus absolutum, quodvè actum perfectum habet. 2.
pro eo, quod habet perfectionem simpliciter necessariam &
essentialem sub quadam Entis ratione. Quibus præmissis &
præsuppositis res facilis redditur, & minimo negotio omnia,
quæ à Fonseca & alijs in cōtrariâ partē afferuntur, solvuntur ac
diluuntur. Secundò notamus quoq; bonum & bonitatē nobis h. l.
non differre, sed tanq. Synonyma promiscuè adhiberi, quæ per-
mu-

mutatio alijs Metaphysicis itidem familiarissima, licet alias nō
eamus in facias, bonum sapius etiam concretivè sumi prout rem
denotat habentem bonitatem.

§. 5. Enodatis his, quæ ad nominalem Boni definitionem,
facere videbantur, ipsius rei iugulum petimus, & ante omnia
in nostræ affectionis statum, & conditionem inquirimus. Ubi
præsupponimus duo. 1. Boni transcendentalis existentiam, quæ
à Philosopho l. 1. Eth. c. 6. contra ideã boni Platonicã prolixè
disputante, multis nervosè probatur. 2. Bonitatem esse verã
Entis Metaphysici affectionem, & conceptum qs. secundum,
quæ duo cum à nullo, nisi à Philosophiæ studio alienissimo, in
dubium vocari, multò minus negari possint, lumen soli inferre,
actumq; agere nolumus; sed prolixis ejus rei probationibus
meritò supersedemus. Qualis v. sit status hujus affectionis
an unitus, an disjunctus, de eo nobis dispiciendum erit, cum
multa de hâc re ferveant litigia & non pauca veritatem dubiam
facere videantur obstacula, quæ priusq. è medio tollamus, lu-
bet nonnulla, pro obtinendâ nostræ sententiæ veritate ponere,
& in medium producere fundamenta, quo de eadem certi facti,
& probè in his confirmati, tela Adversariorum prævisa eò fa-
cilius eludere, & sic ab illis nobis præcavere possimus.

§. 6. Nos proinde in media veritatis luce constituti, &
à saniorib. Philosophis rei veritatem edocti, cum illis seridè &
apertè asserimus, Bonitatè esse unitã & adæquatã Entis affectio-
nem. Ubi notanter dicimus Entis Metaphysici, quod est i. po-
sitivũ nō privativũ 2. est vel creatũ vel increatũ, non ad particu-
laria Entia determinatũ. quæ nota addita multa solvit dubia. Ut
a. nostræ assertionis veritas eò magis elucescat, stabilimus ean-
dem sequentibus rationibus, & probamus. 1. ex Bonitatis ad-
æquatione: Quodcunque n. est Ens verum & positivum, il-
lud est bonum. At omne Ens est verum & positivum E. O. Ens
est bonum. Majoris connexio probatur. 1. quoad prius mē-
brum, quia Veritas est bonitatis fundamentum, nec ullum
Ens potest esse verum, quod non simul sit bonum. 2. quoad
posterius, quia quod est positivum, essentialiter ponitur, & o-
mne,

quod ita ponitur, illud est bonum. 2. Ex eadem causa
bono reciprocatione. Quodcumque n. Enti est reciproca
illud est unita eius affectio. Atqui bonitas est Enti reciproca
E. Minor probatur, quia O. Ens est bonum, & O. bonum Ens
3. Ex solitaria consecutione. Quodcumque n. in sensu soli-
tario sine essentiali disjunctione essentialiam consequitur, illud
est unita Entis affectio. Sed Bonitas hoc modo Ens consequi-
tur. E. Major probatur, quia O. solitatum est unicum. 4.
Ex unitarum affectionum descriptione. Cuicumque ergo com-
petit harum definitio, illi & definitum. Sed Bono competit. E.
Minor probatur, quia simpliciter & solitariè inest omni Enti,
cumque eo reciprocatur in sensu unito, ut ex præcedentibus
constat. 5. ex communi Entis affectionum distributione, quâ
aliæ dicuntur unitæ, aliæ disjunctæ. Ad illas a. omnium Meta-
physicorum consensu meritò etiam refertur Bonitas. 6. Ex
recta ratione & necessitate. Si enim Ens quoddam esset malum,
sequeretur, quod vel creator vel creatura sua careret bonitate.
Sed prius est blasphemum, posterius absurdum, cum O.
effectus restetur de sua causa, quæ si bona bonum,
etiam per se producit effectum. Necesse ergo est, ut dicamus,
Bonitatem esse unitam & adæquatam Entis affectionem.

§. 7. His & aliis positis fundamentis immoti stant à veritatis par-
tibus & pro aris & focis ejusdè, contra hostes & esores illius pu-
gnamus acerrimè, qui ociosis quibusdam objectiunculis veri-
tatis Solem tenebris involvere frustra laborant, quas tamen
indignas judicamus, ut ordine producantur in aciem, cum par-
tim in falsis hypothesebus & fallaciis sint fundatæ, partim ex
confusione bonitatis essentialis cum accidentali, actionum
materialis cum formali, ortæ. Nihil igitur illæ nos movent,
quò minus tenaces maneamus nostræ sententiæ veritati quàm
proximæ.

§. 6. Errores v. Timpleri, Manichæorum, & Priscilli-
anitarum non possumus non atro notare carbone. Ille n. l. 2.
Met. c. 9. th. 1. tale ponit axioma. O. Ens aut bonum est aut ma-
lum. Quo negat. O. Ens tantum esse bonum, & per consequens
bonitatem unitam esse Entis affectionem. Hi v. apertè profiteri
non veriti sunt, aliquas res esse natura sua malas simpliciter, &
nullo modo participare de bono. ut: Dæmones & res corpo-

ales, qui cum & ab Augustino, aliisque; satis erroris sui convicti & refutati sint, & infra etiam de illis in doctrinâ de malo non nihil dicturi simus, in hac thesi eorum ineptias silentio involvamus, & breviter saltem ad effugium, quod Timplerus pro confirmando suo præcepto, supra adducto, cit. l. q. 24. quærit, respōdemus, quod insignem committat contradictionem, qu. illud suum præceptum, ut vocat, tantum verum esse jactat de Ente, non quat. Ens est, sed quat. indefinitè sine ullâ certâ limitatione intelligitur. Cū tamen 1. quæstio ibi sit de Ente quat. Ens est, & 2. manifestam involvat contradictionem, considerare Ens indefinitè sine ullâ certa limitatione, & tamen non quat. Ens est, quæ formulæ tamen Philosophicæ unum eundemque inferunt sensum, & nullo modo sibi invicem opponuntur. Infirmitas E. & viliora hæc sunt, quàm ut nos à regiâ veritatis viâ seductos in erroris hujus devia & labyrinthum præcipitare valeant.

TH. II.

Bonitas est, quæ dicit congruentiam transcendentalis perfectionis ad rem ipsam.

Expositio.

§. 1. Bonitatem esse adequatam Entis affectionem abundè satis in præcedenti thesi demonstratum dedimus, sequitur porro, ut altiori scrutinio bonitatis naturam indagemus quâ adducta ejus descriptio nobis sistit. In hac v. boni definitione, prout quidem cū pro ratione transcendentalis ejus superioritatis & universalitatis, tum pro conditione nostræ imbecillitatis haberi & formari potuit, duo potissimum occurrunt disquisitione & acutiori meditatione quàm dignissima, Materiale scilicet & Formale.

§. 2. Quod attinet Boni materiale, illud nihil aliud est, quàm ipsum Ens, quod bonum involvit, tanquam affectio transcendentalis, cujus materiale semper est ipsa essentia. Entitatem v. indubitato esse Boni materiale, probari potest ex abundantanti. 1. ex Entitatis simplicitate, quæ ipsi cum Ente communis est

est materialiter. 2. ex communi Metaphysicorum loquendi consuetudine, qua dicitur, quod affectiones Enti, tanquam materiali suo nihil superaddant. Hervæus quidē materiale hoc venditat pro formali, sed quā siculneæ ejusdem assertionis hujus sint rationes satis demonstrant Fonseca l. 4. Met. c. 2. s. 2. col. 820. Et Svarez. disp. Met. 10. c. 1. s. 1. & infra quoq, demonstrandum erit.

§. 3. Materiali explicato, proxima cura est, ut & de Formali bonitatis nonnulla tum pro nostrā, tum pro Adversariorum sententia audiamus, & veritatem quoque ex hoc puteo eruamus. Nostra assertio in rei veritate fundata hæc est: Quod scilicet Boni Formale tantum consistat in congruentiā transcendentalis perfectionis ad rem ipsam.

§. 4. Ad pleniorē hujus sententię explicationem, necessariò distinguendum esse censemus. 1. inter perfectionem rei primam s. actualem essentię positionem, secundum quam Ens habet omnia ea, quæ ἀπλῶς & absolutè ad esse rei primū requiruntur; & perfectionē 2dā seu rei in debitis virtutibus & operationibus consummationem, secundum quam Ens habet ea omnia, quæ ad bene esse, seu ad secundum rei esse perficiendum requiruntur, ut sunt: Actus secundi & generaliter omnia, quæ ad integritatem, vel ornamentum, vel altiorem statum pertinet. Nos primam tantum hic subintellectam volumus, quæ est transcendentalis, non moralis nec naturalis, Entitativa, non qualitativa, essentialis, non accidentalis, secundum quam multa dantur imperfecta, partim ob imperfectionem graduum, partim ob absentiam accidentium inesse debitorum, partim deniq; propter præsentiam vitiorum adherentium, quæ ab essentiali longissimè remota sunt. II. Distinctio notanda est circa vocē congruentię (α) inter congruentiam cum intellectu, & cum voluntate, illam veritati relinquimus, hanc certo respectu bonitati ascribimus (β) inter convenientiam, quatenus est vel relatio rationis, vel realis. Illam scilicet rationis ratiocinata superaddit Enti, ejusque

perfectiōni ista convenientia, non v. hanc. Videatur B. Jacob. Mart. in Exercitat. l. i. th. i. De ea prolixius differens, eamque, quam hic dari diximus defendens.

§. 5. Quibus ita explicatis veritas suis opibus freta caput suum exserit, & facile contra omnes Adversantium machinas & argutias se per seipsam defendit, ut jam ex sequentibus liquidò constabit. Nam contrarias quod concernit sententias de hoc Bonitatis Formali, ex illis duas potissimum maximè erroneas & veritati è diametro oppositas notamus, & refutatione dignissimas judicamus, alteram Timpleri, alteram Hervæi. Ille bonitas formalem rationem facit qualitatem, hic Entitatem.

§. 6. Sed respondem⁹ ad primū omni fundamēto destitutū, i. oppido absurdum esse in tota Philosophiā, confundere transcendētia cum prædicamentalibus, ut h. l. Timplerustalis confusionis meritò arguendus, qui qualitatem prædicamentalem facit formale bonitatis transcendentalis. 2. qualitatem cum suo subjecto facere compositionem realem, quæ in Ens simplicissimum non cadit, quod tamen fieret, si qualitas boni Formale esset. 3. contrariari rectæ rationi & sanæ religioni dum bonitatem substantiis, quia non sunt qualitates denegat, & novū Deum finitæ bonitatis capacem fabricat.

§. 7. Ad secundum dicimus. I. Nullam affectionem formaliter esse rem ipsam, cujus est affectio. 2. Entitatem esse absolutam, bonitatem respectivam, quæ nullo modo conveniunt. 3. Entitatem esse materiale, ut supra evictum est & propterea non Bonitatis Formale. Rationes, quibus Hervæus sententiæ suæ robur addere conatur, refutata videri possunt apud Fonseca & Svaresium supra laudatos. His obstaculis è medio sublatis firmo adhuc stat talo nostra de Boni formali veritati consona sententia.

Th. III.

Bonitatis divisiones varia dantur.

Ex Deo.

§. ii. Priusquam progrediamur ad Boni oppositum, quod est

est malum, non abs re & ab instituto nostro alienum esse putamus, si non nihil in sumamus operæ in quarundam Boni distinctionum explicatione, quarum potissima hæ sunt.

§. 2. I. Bonum aliud est Transcendentale aliud prædicamentale. Illud est indeterminatum, & transcendit omnia prædicamenta; Hoc v. est determinatum & ad certum aliquod prædicamentum restrictum. Quæ distinctio tam nota, quam notissima.

§. 3. II. Bonum aliud est Naturale, aliud Morale. Naturale est quædam naturæ congruentia & consistit. 1. in causarum naturalium bonitate, quæ sunt Materia & Forma. 2. in legitimâ proprietatum & operationum naturalium conditione ac perfectione. Morale v. nihil aliud est, quam *euvopia* s. convenientia cum lege & recta ratione, & dicitur habitus, quia est animi qualitas acquisita ad agendum secundum rectam rationem. Quæ distinctio non sua caret utilitate, præsertim in Theologiâ, quoniam substantia hominis non regenerati bona dicitur, scilicet secundum bonitatem vel transcendentalem, vel naturalem, non moralem.

§. 4. III. Bonum aliud dicitur verum, aliud apparens. Quæ distinctio tantum est Æquivoci in sua Æquivocata, cum hoc bonum apparens non eodem modo gradu & mensura bonum dicatur, ut verum. Est n. tale bonum, quod tantum habetur pro bono, cum revera sit malum. Hinc apparens dicitur. 1. ratione nostri. Nam propter perversum nostrum iudicium, & corruptum appetitum bonitatis rationem habere videtur, quæ tamen tantum est extrinseca, accidentalis & temporaria. 2. ratione sui ipsius & extrinseci status, quod sub boni schemate nobis bonus apparet, cum intrinsecè, & in sua naturâ sit pessimus. Bonum a. verum est, quod revera bonum est & appetibile. Inde (1) Verum dicitur. 1. fundamentaliter, quia in seipso non in alio fundatur. 2. materialiter, quia revera Ens ipsum includit. 3. formaliter propter convenientiâ, quæ respectu voluntatis divinæ ita dicitur, 4. finaliter, propter finem revera

B 2

opti-

optimum. [II.] Appetibile. Ubi probè notandum quod ista appetibilitas non semper sit actualis; sed potentialis, non formalis, sed fundamentalis, intrinseca & Entitativa, non extrinseca & respectiva, objectiva non subjectivâ. Aliâsenim bonum sepe indueret naturam mali, & hoc naturam boni.

§. 5. IV. Bonum aliud datur per essentiam, aliud per participationem. Illud independentè, originaliter per se, & ex se sicut habet bonitatem, quod bonum soli Deo competit. Hoc v. dependentè & finito modo bonum est, suamque bonitatem à summo bono derivatam obtinet. Quæ bonitas in creaturis locum habet. Estque iterum vel per se vel certo respectu talis. Bonum per se est, quod simpliciter, omnino loco ac tempore & in omnibus subjectis bonum est, uti Vera religio. Bonum certo respectu, quod alteri bonum est, alteri a. potest esse malum. Ut: Bellum. Et quæ sunt innumere aliæ Boni divisiones, quas hac vice sicco pede lubenter præterimus, cum nulla hic subsit difficultas aut obscuritas, quæ aliquâ illustratione luce indigeat.

TH. IV.

*Datur Malum; sed non summum, summo
Bono oppositum.*

Ex Deo

§. 1. Oppositorum eadem est doctrina, eum mutuò se declarent, alterūq; ex altero manifestetur apertius. Postquam igitur Boni doctrinam quoad præcipua capita breviter pro virili explicatam dedimus, methodi ratio efflagitat, ut & mali, Bonitatis oppositi, naturam aliquo modo indagemus & indirectè quasi *ακατ' ἀνθρώπων* in præsentî thesi explicemus.

§. 2.

§. 2. Dari autem malum, non opus est, ut multis probe-
tur, cum neminem hic nobis habeamus contradicentem, quin
potius plures de malo conquerentes, quam de bono trium-
phantes, in communi audiamus vitâ. Sed esse aliquod malû
summum, Summo Bono oppositum, hoc à nulla sanæ ratio-
nis homine concedi potest, quia hoc cum *αθεόλογον* tum *αφι-
λόσοφον*. Illud: quod summum malum sic fieret Ens necessa-
rium, à Deo tanquam prima causa creatum, & per consequens
Deus constitueretur causa mali, quod blasphemum est. Hoc:
quia malum sic esset 1. Ens positivum, quia summum. 2. dare-
tur aliquod malum per essentiam, ceu bonum datur
per essentiam, quod absolum: Omne n. malum est per Ac-
cidens, et non potest esse malum nisi in bono, tanquam in suo
subjecto. 3. Bonitas non amplius esset affectio unita; sed dis-
juncta, cum O. Ens hoc modo esset vel bonum vel malum. Quæ
omnia maximam sapiunt absurditatem, & crassissimos invol-
vunt errores, quorum plerosque supra luci exposuimus, & tan-
quam lolium ex agro nostro Metaphysico extirpatos rejeci-
mus.

§. 4. Ex quibus omnibus meridiano Sole clarius eva-
dit, quam detestandum sit cum in Theologiâ tum saniore Philo-
sophiâ Manichæorum, Priscillia nostrarum, & ex Philosophis
Pythagoreorum error, qui asserere non erubuerunt, duo dari
principia, alterum bonum, alterum malum, & ab illo omnia
bona, ab hoc v. omnia mala promanare.

§. 5. Fundamenta eorum palmaria ab oppositorum
ratione & conditione potissimum desumpta sunt hæc: 1. Con-
trariorum effectuum sunt contraria principia. Bonum v. &
malum sunt effectus contrarij. E. 2. Quot [mo-
dis sumitur unum contrariorum, tot modis sumitur alte-
rum. Sed datur Summum Bonum. E. & Summum malû
ejus contrarium. 3. Quicquid est per participationem, redu-
citur ad aliquod, quod est per essentiam. Sed omnia mala sût
per participationem mala. E. 4. O. quod est per Accidens

reducitur ad aliquod, quod est per se. Atqui bonum est causa mali per Accidens. E. necesse est ponere summum malum, quod sit causa mali per se.

§. 6. Sed breviter eruenda veritatis gratia respondemus ad I. limit. I. Mat. Contrariorum effectuum positivorum contraria sunt principia per se, eo ipso v. non statim negatur: Contrariorum effectuum eadem quoque esse posse principia, unius per se, alterius per Accidens, juxta istum Canonem: Contrariorum effectuum eadem est causa. 2. neg. Min. Malum n. n. non est positivus effectus, sed potius defectus propter deficientem causam. 3. Malum & Bonum sibi non contrarie opponuntur; sed privatim, quia O. malum est boni privatio. 4. Concedendo totum, quia Deus est Author boni, Diabolus mali; sed quod effectus isti, eorumque principia proprie sic dicta ab aeterno fuerint, hoc in totum negatum imus.

§. 7. Ad II. limitat. Maj. Quot modis dicitur unum contrariorum, tot modis alterum, si scilicet detur illud alterum, & sint simul contraria. Jam negamus Minorem. Bonum n. & malum non $\alpha\omega\lambda\omega\varsigma$ sunt contraria, sed tantum in certo subjecto: Nec datur malum summum seu alturum principium. Merito igitur sunt petitionis quasi.

§. 8. Ad III. Respondemus negando Minorem, quia Nullum malum per participationem tale est, sed potius per privationem. Alias n. foret Ens a se & positivum.

§. 9. Ad IV. dicimus Maiorem, tantum valere de causis efficientibus, non deficientibus, quas Malum habet. Manet ergo conclusum nostrum: Summum malum summo bono oppositum non datur.

*Malum est privatio perfectionis debita**inesse.**in 1. 1. 1.*

§. 1. Malum transcendente & summum esse non. Ens, jam demonstratum est; sed de malo determinato aliud ferendum iudicium. Dissimilium n. dissimilis est ratio. Quid ergo illud sit, & in quo consistat, in hac thesi dispiciendum venit. Ut a. ordine procedamus, Materiale & Formale Mali seorsim examinabimus. Illud esse aliquod positivum, non negamus, quia malum non esse potest nisi in certo subiecto. Hoc verò consistere asserimus in privatione perfectionis debita in esse: quia 1. Malum Bono opponitur, tanq. privatio suo habitui. 2. quia infert defectum illius rei quod inesse poterat & debebat. 3. quia habet fundamentum in ipsis rebus, non quidem ut ponens, sed ut removens aliquid, eo tamen modo, quo malum esse potest.

§. 2. Dum v. dicimus, malum esse privationem non nudum aut latissimam, sed vulgò sic dictam privationem intelligimus, quæ cum corruptione conjuncta, quemadmodum Plur. Rever. Dn: D. Scharffius in sua Exemplar. Mer. l. 1. c. 2. eundem explicat. cuius verba hæc sunt: *Privatio strictè sic dicta est absentia boni debiti inesse cum latione subiecti, Et hæc est propria privatio: quæ non est modo absentia alicujus rei, sed negatio illius boni quod debebat inesse, quodq. pertinet ad perfectionem subiecti. Quam perfectionem quia tollit hæc privatio, ideo statim leditur, deformatur & corrumpitur subiectum, ipsiq. aliquod malum inferitur. Qualis privatio est peccatum Originale. Hoc n. non modo, negat & tollit iustitiam originalem, omnique innocentia perfectiones, quæ in Adamo erant ante lapsu;*
sed

sed insuper hominem depravat corrumpit destruit. Quæ verba
mirum in modum privationem nostram illustrant & decla-
rant.

§. 3. Gravissimè Ergo peccant circa hoc formale alii in
defectu, qui illud in purâ negatione & nihilo consistere dicti-
rant, ut Zanchius l. 1. c. 2. th. 1. col. 5. ejusque asseclæ, qui his
potissimum rationibus pro hac assertionem pugnant. 1. quia
malum nihil aliud est, quàm privatio, & hæc nihil aliud quàm
nuda negatio. 2. quia à nemine per se appeti potest. 3. quia
alias à Deo esset factum.

§. 4. Sed contrarium hujus sententiæ, prius-
quam rationes pro eadem allatas sub limam re-
vocemus, nos potius multò validioribus probamus ra-
tionibus & quidem. 1. ab absurdo. Si n̄ illud stare, sequere-
tur malum esse Ens rationis & negativum, quod non esset,
nec fuisset nec futurum sit, cum tamen peccatorum sem-
per fuerit, sit, & ratione damnatorum in æternum futura sit.
fecundissima seges & nunquam interrupta series. 2. quia. Non
Entis nullæ sunt operationes, nullæ affectiones: Jam v. pecca-
ti, tam originalis quàm actualis operationes cuiusvis satis obviæ
& expositæ: affectiones a. ejusdem variæ divisiones peccati,
secundum gradus & personas, satis manifestas reddunt.

§. 5. Deinde respondemus ad rationes datus, earumq;
Primam. 1. Nullam intercedere inter privationem & negati-
onem cognationem reciprocam, & ab illa & hanc nullo modo
valere sequelam, de quâ differentiâ fusius disputantem vide D.
Jacob: Mart. in disp. Metaph. 7. in Svarzium qu: 13. 2. nega-
mus peccatum consistere in purâ privatione. Peccatum
n. & malum culpæ non tantum bonorum *ἀγαθῶν* sed & malo-
rum *κακῶν* infert, E. aliqua etiam dabitur in peccato positio,
non nuda privatio. Ad secundum: 1. per instantiam de malis
pœnæ quæ non appetuntur, & tamen propterea non sunt merè
nihil. 2. limit: Quodeunque à nemine per se appetitur, illud
sub formali hoc respectu non est bonum. Et sic de malo totum
con-

concedimus argumentum. Ad tertiam respondemus distin-
guendo inter effectus & defectus. Malum non est effectus,
sed defectus, & propterea non à Deo, à quo tantum vera
& positiva proficiscuntur effecta non v. contraria.

§. 6. Alij peccant in excessu, ut: Scholastici, qui ma-
lū in essentiali & Metaphysicā positione consistere clamitant,
his rationibus preprimis freti. 1. quia est Genus. 2. quia est dif-
ferentia. 3. quia agit. Cæteras vix titivillitio dignas ipsis re-
linquimus probationes.

§. 7. Ad has v. & quidem ad primam brevitati studen-
tes respondemus 1. negando, quòd malum sit propriè sic dictum
& essentialis Genus. Committunt Ergo petitionem principii.
2. distinguendum est h. l. inter prædicationem communem &
genericam. Multa Accidentia sunt quidem communia, non
v. generica, nec valet à communitate ad genericum statum cō-
sequentia. Ad secundum distinguimus inter differentiam
ἀκριβῶς & *παχυλῶς* propriè & impropriè sic dictam, essenti-
alem & accidentalem, qualis est malum, quat. significat remo-
tionem boni, quæ non ut illa, Ens positivum constituere pot-
est. Tertiam explodimus distinguendo inter actionem, quæ
fit formaliter per se, & ex essentiali suæ activitate, & quæ fit ma-
terialiter, per accidens, & ex subjecti qualitate. Illam de
malo negamus, hanc ei assignamus, quæ nullam infert positio-
nem, qualem illi Malo non absque summa veritatis injuriā
affingunt, dum eam ejusdem formale faciunt. Rectè Ergò cō-
cludimus veritatis suffragio eā, quā incepimus, formulā hanc
thesin; Malum non est pura negatio nec essentialis positio,
sed perfectionis inesse debitæ privatio.

TH. VI.

Mali distinctiones varie dantur.

ἐκ θεοῦ.

§. I. Quemadmodum Boni, sic etiam Mali non pauce dan-

SOLI DEO GLORIA

dantur divisiones, quas hinc brevitatis ergo non omnes allegare
possumus. Unam tamen atque alteram saltem hinc subjungi-
mus.

§. 2. I. Malum aliud revera tale, aliud apparens. Hoc
tantum malum esse videtur ratione nostri, non ratione sui. Il-
lud v. revera malum est cum ratione sua essentia, ut abusive ita
loquar, tum ratione apparentia, de quo h. l. sermo est, & quod
iterum dividitur vel in Naturale vel Morale. Naturale nihil
aliud est, quam carentia perfectionum & virium naturalium,
quae ad esse debebant, & conjunctum est vel cum insigni
vel cum minus notabili defectu, vel cum malis impo-
tentia, ut in Physicis docetur. Morale v. est *ἀνομία* s. defor-
mitas cum lege & recta ratione pugnans: Quod vel perfectum
vel imperfectum, vel in una, vel in pluribus actionibus, ut plu-
ribus explicant id ipsum Ethici.

§. 3. II. Malum est vel culpa vel poene, illud coincidit cum
morali, hoc v. est ipsa poena, quae ob malum culpa infligitur.
Estque vel vindicativum, quod in puram vindictam infligi-
tur, absque nullo fructu patientis, ut damnatio aeterna, vel Me-
dicinale, quod alicui infligitur ad hoc, ut ei conferat bonum.

§. 4. Coeteras mali divisiones & alia, quae vel ratione
originis vel causa efficientis circa malum alias in controversiam
veniunt, hac vice cum propter chartae angustiam, tum propter
materiam hujus varietatem & copiam silentij velo involuta re-
linquere cogimur. Concludimus ergo Bono cum Deo, a quo
auspiciis fecimus, & illud Quintiliani l. 12. c. 6. coronidis lo-
co addimus. Si quid desit operae, supplet aetas, & si quae dicta
sunt juveniliter, pro indole accipiantur. **ILICET!**

COROLLARIA.

- I. An Metaphysice legitimum Genus sit Sapiencia? A.
- II. An Ens Metaphysicum possit definiri? N.
- III. An Ens habeat essendi principia? N.
- IV. An Ens in potentia habeat verum esse reale? D.
- V. An Detur Entis conceptus analogicus? A.
- VI. An Substantia latior sit supposito, & hoc latius perso-
na? A.

SOLI DEO GLORIA



Disce nunc *MULLERE*, sat patet virtus,
 Post tot agonas laureasq; tot partas
 Discede felix! tuq; Musicis pugnis
 Novelle miles assuesce *BAUMANNE*,
 Et ferre disce pulveremq; Solemq;
 Testem laboris ingeniq; non segnis.
 Laboriosa laus parata virtuti est;
 Timidos pigrosq; dedecus manet solum.

AUGUSTUS BUCHNERUS P.P.

Acad. Senior & in presenti Rector.

Rebus inest bonitas, bonus est homo, vipera, truncus,
 Spiritus eximia nec bonitate caret,
 Hac quid sit bonitas dum perscrutaris amice,
 Es bonus, & bonitas per placet illa Viris.

JOHANNES MEISNERUS, D. & P.P.



Egregie docto

DN. RESPONDENTI,

*Juveni de luto nobiliori formato,
 Amico amicissimo*

Qui bonus es, *BAUMANNE*, **BONUM** dum noscere gestis,
 Na melior tandem ac optimus esse potes!

scrib.

M. JOHANNES DEUTSCHMANN

Fac. Phil. Adj.

BAUMANE, quod consideras **BONUM** ENS modo,
 Bonum facis, Bonus cluis, Bonumq; opus
 Bonum parabit, auguror, tibi premium?

L.M.Q.

PRÆSES.

GLORIA



Ad
Eruditissimum

D^N. RESPON-


DENTEM Amicum Optimum,

TE Bonitas, Virtus, Labor improbus, Ardor honesti,
Mulum commendant omnibus atq; mihi.
Ipsa probat, Bona que tua, dissertatio, nonne
Nunc merito dicam, Es totus ubiq; bonus?
scrib.

M. Christoph. Daniel Schreiter /
Wurcena Misnicus.

Verba representant abstrusa noemata mentis:
Hoc bonus atq; malus noscitur indicio.
De BONITATE igitur bene dum discurre, Amice,
Luxuriat pectus nã bonitate tuum.
Gratulor atq; precor Bonitatis fons & origo
Porro bonis multis Te cumulare velit!
Fautori suo familiarissimo ser.

M. Jacobus Saurius



✓
00 A 6436

ULB Halle 3
004 931 300


KD 18





